

Magnorum olim suo in genere virorum memoriam recolere saepe religiosius est, quam suae aetatis viros aliquo honorum meritorumve titulo excellentes ante diem summis extollere laudibus. Neque vero qui superioris aevi viros eximios novis honoribus augeri volunt, ullo modo significant, se non habere aequales quos concelebrent „insignes virtute viros“ aut horum se invidere meritis sua laude maioribus. Tot enim tantisque rebus domi potius quam militiae gestis rerumque claris auctoribus aetas nostra abundat, ut, si qui vivi suis mactandi sint honoribus, non sit dubium, quin sint, qui in illum censum referri queant, sed qui sint inter tot magnos maioribus minores et admissione minus digni. Concedendum est sane, esse etiam antiquissimi temporis viros, qui monumenta nominum suorum aere perenniora reliquerint, quam ut periculum sit, ne, etiamsi nullis aliis in sui memoriam signis ornati fuerint, fama ipsorum non sit seris nepotibus superstes futura. Sed verendum est tamen, ne multi etiam clari viri paucis litteratoribus quibusdam et historicis, aut certe paucioribus alius generis hominibus, quam pro suo in rempublicam vel in genus humanum merito innotescant, et destituti publicis honoribus haud pauci pedetentim in oblivionem abeant, neve, quod rei caput est, populus quotidiano memorabilium rerum hominumque suorum aspectu orbatus degeneret vilescatque, aut saltem non ad sequenda et imitanda spectabilium in dies herorum exempla incitetur et erigatur. Quicumque igitur suos viros honorabiles honorat, hos non magis quam semet ipse honorat populus pietatis ac fidei documentis in publicum editis vel propositis.

Quocirca impense laetamur, esse in hac urbe hodie, et qui optima de Leibnitii placitis scripta praemio ornanda censeant, et qui quum Lipsia eum Iunonis ob iram olim elabi passa sit, ab exsilio mortuum revocandum, et aliquo signo in perpetuam memoriam repraesentandum suadeant, non inauspicato anni futuri XXI. mensis Iunii diem celebraturi, quo ante haec duo saecula hic natus est. Ita Leibnitius quasi renascetur Lipsiae, in patriam ipso die natali restitutus: etsi, quod Guhrauer dolet, domus eius natalis ostendi nequit, nec constat, qui postes ad peragenda natalicia festis coronis adornandi sint. Verisimile est autem, ut hoc obiter memorem, quod Fridericus Leibnitius pater, nascente filio, professor philosophiae moralis, maioris principum collegii socius et universitatis actuarius erat, hunc in eius ipsius collegii aedibus habitasse, et actuarii academici habitaculum tenuisse, conclavi quatuor nationum (nationali magno dicto) superimpositum, iuxta auditoria philosophicum et superstructum in primo tabulato medicum. Illud autem habitaculum cum his conclavibus novissimo bello dirutis, nuper funditus reffectum splendideque renovatum atque amplificatum illa iam sodalitas obtinet, quae *Aquovia* dicitur. Ubi cumque vero apud nos natus est, quin hic primo lucem aspexerit, hic educatus sit, hic litteris in schola Nicolaitana et in academia operam dederit, nemini dubium est. Neque igitur minus certum est, Lipsiam suo quodam iure posse suorum in civium numero ponere illum virum, singulari naturae dote, ingenii et doctrinae lumine in paucis vel maxime eminentem, et, si ipsa velit pristini temporis piaculum luere, debere tandem temerariae illius diffidentiae maculam abstergere et in oblivionem adducere iniuriam non splendori quidem ingenii, sed aetatis tamen existimationi impositam.

Brevi intellectum est, ut puerum, superatis ingenio studio et successu commilitonibus, ita adolescentem viris eruditione et doctrinae copia victis ultra vulgus sapere, paucis parem, plerisque prorsus esse incomparabilem. Iam Iacobus Thomasius, ille quidem primo corrector scholae Nicolaitanae, deinde philosophiae in hac universitate prof. ord., quem Leibnitius audiverat, denique utriusque deinceps gymnasii rector,

Lipsienses erroris sui quum in puero erudiendo, tum in ornando iuvene commissi convivit perpetuo usque ad cineres mutuo litterarum commercio aliisque benevolentiae erga eum et pietatis non minus, quam observantiae et honoris documentis editis. Neque enim huius loci est ostendere, quanti Leibnitium fecerint alii aequalium suorum, non modo principes Europae, Petrus Magnus, Carolus VI., Georgius I. aliique luculentis multiplicis gratiae significationibus et honoribus virum magnum ornantes augentes cumulantes, sed etiam reipublicae litterariae in Germania Gallia Britannia duces et antesignani. Id vero ut olim Fontenellius praeter ceteros (cf. Guhraueri Praef. Tom. I. p. X.) elogio (Eloge de Mr. G. G. Leibnitz par Mr. de Fontenelle) et recitato in academia litterarum Parisiensi a. 1716. et postremo cum viri eximii operibus Genevae a. 1768. edito et Iacobus Bruckerus Leibnitii vitae enarratione, quam Dutens iuxta cum iisdem operibus evulgavit, sic nuper G. E. Guhrauer praeclaro opere biographico, („Gottfried Wilhelm Freiherr v. Leibnitz“ II. Tom. Wratislaviae a. 1842.) testatum fecerunt.

Sed in tanto tanti viri concelebrandi studio deesse officio viderer, nisi animum stilumque converterem ad tuendam recolendamque memoriam illius ipsius, qui in corona doctissimorum illustrissimorumque virorum, quos schola Nicolaitana ullo umquam tempore fovit, velut „*inter ignes luna minores*“ emicat. Quamquam aperte confitendum est, scholae virtutem dignitatem florem non posse nec frequentia discentium fortuita aut concursu saepe temerario, nec praecellentium ingeniorum luminumque fulgore censi. Nam quo pauciores discipuli ad lectissimorum magistrorum pedes sedent, eo plures solent ex cuiusque ore multum ad eruditionis laudem vitaeque usum proficere, eoque doctiores et humaniores evadere. Schola autem Nicolaitana etsi eruditissimis semper fere rectoribus, iisdemque olim saepe academiae professoribus ordinariis, ut Meurero, Crellio, Iac. Thomasio, Haltausio, Reiskio multisque aliis itemque collegis doctissimis, et docendi peritissimis gavisae est: tamen nullo fere tempore, ut centum et quod excurrit annorum annales docent, ad summum centenis plures simul discipulos habuit, et paucos dumtaxat per annos, postquam ego rectoris

munere fungi coepi, inde ab a. MDCCCXXVIII usque ad XXIII. ducentos complexa est. Credibile est igitur eo quoque, cuius annales non iam exstant, tempore, in quod Leibnitii pueritia incidit, quamvis laudatam tum scholam, tamen a paucioribus tantum frequentatam, et quum hanc ob causam, tum quod clari in ea docerent magistri, in eam tum deductum esse puerum. Hunc autem constat iam quindecim annorum adolescentulum anno 1661. gymnasium cum universitate patria commutasse: incertum est autem, quando scholae frequentandae initium fecerit. Hodie non facile ante decimum aetatis annum pueri recipiuntur: ad annum autem huius saeculi usque vigesimum iam sexennes admitti consueverunt, more inde ab antiquissimis temporibus ex lege et usu ad nostram memoriam prodito. Nec dubium est igitur, quin Leibnitius quoque suo tempore sex annorum puerulus inter tirones nostros referri potuerit. Quandoquidem autem, ut accepimus, post patris mortem, quae in huius filii annum sextum incidit, (v. Sept. a. 1652.) eius educandi curam mater, a prudentia et pietate laudata mulier, Schmuckii professoris filia suscepit (cf. Guhrauer Tom. I. p. 9.) neque ab ipso iam patre scholae, sed tenellus tamen traditus est: non ita multo post huius scholae disciplina uti incepisse existimandus est. Ex eius autem magistris maxime tres laudantur, Ioannes Hornschuh, scholae rector, et litterarum Graecarum in academia professor ordinarius, Tilemannus Bachhusius post obitum I. S. Schwenkii eiusdemque professoris logices et metaphysices ordinarii ab anno MDCLIX. corrector, et Elias Nathusius, socius collegii academici B. V. scholae autem collega IV. Praeterea vero eiusdem temporis magistri fuere Ioannes Ralla, qui Backhusio in collegae III. munere successit, paullo post autem vita defunctus est. Utrum Leibnitius in inferioribus classibus tirocinium posuerit, necne, non habeo dicere. Quod quoniam incertum est, satis erit commemorasse reliquorum nomina magistrorum, quibus parvulorum, quos chronica dicunt, cura erat iniuncta. Quintae classis magisterium deinceps administrarunt Engelmann, notarius p. C. et advocatus (1627 — 1654.) M. Seidmann (1655.) Ralla (1656 — 1659.) et M.

Wagner: ac classis sextae discipulos erudiendi negotio temporis ordine functi sunt Köhler (1647—1654.) Fr. Schmidt 1655. Lohmann 1656—1659. Georgius Ralla a. 1659. sqq. Septimum in collegio locum obtinere primo Zacharias Nathusius (1655.) G. Gruner (circiter a. 1660.) denique octavum Iacobus Schön (a. 1654. sq.) et Ant. Theoph. Sanus (ab a. 1655. usque ad 1660.) Praeter hos incerti collega loci nominatur Reissius quidam. De his qui plura cognoscere cupit, relegat coniunctissimi collegae mei, quem honoris caussa nomino, A. Forbigeri historiam scholae Nicolaitanae a. 1826. editam. Neque vero hos omnes, quos commemoravi, magistros, praesertim postremos exeunte Leibnitii tempore scholastico in collegium Nicolaitanum cooptatos, eius doctores fuisse per se clarum est. Nec solis tantum illis, opinor, magistris tribus usus est, quorum laudes tum temporis celebratas esse diximus. Fueritne vero unus istius triumviratus, an alius eiusdem collegii magister, qui puerum coercuisse dicitur, ne tam multa tamque inter se diversa domi legendo ingenii vires dissiparet, in dubium relinquam, praesertim quum, qui laudem meretur, studii desultorii castigatorem paene communi omnium iudicio notari, atque in tam felici studiorum Leibnitianorum successu explodi soleat. Laudi enim ducitur opportuna cati magistri animadversio, qua effici solet, ut animi pueriles magis magisque unam rem intentius contueantur, atque ita a variarum rerum contemplatione avocati severiori constantiorque litterarum studio assuefiant. Namque unum e gravissimis magistrorum officii in eo positum est, ut discipulos curae suae concreditos ad amorem litterarum perennem continuumque earum studium, quod tamquam fructum e messe praecipuum e schola in academiam omnemque vitam secum auferant. Quod in quibus deficit, eorum plerique aut confundunt diffunduntque omnia, aut etiam plane omne oleum operamque suam perdunt. Oppido enim pauci tanta ingenii capacitate conspiciuntur, ut rerum multiplicium nec inter se cohaerentium copiam comprehendant digerant teneant, vel, ut uno verbo dicam, existant *πολύστορες*, qualis fuit Leibnitius. Hic ipse quidem negat se eum futurum fuisse, qui postea fuit, si

praeceptori parendum fuisset, cuius consilium nescio quis familiaris sua auctoritate diluisset. Ita vero tractabat bibliothecae patriae scriptores dispares, ut singulos tam diu legeret relegeretque, dum penitus perspectos habere sibi videretur. Hac nativa quadam constantia periculum evitavit, quod subiret necesse erat, si rerum ex parte modo perceptarum notitia animum imbueret et refeciret. Si quid igitur vitio vertendum est illi praeceptori, hoc est, quod non viderit, quam cereum ac versatile discipuli esset ingenium, quamque tenax propositi animus ideoque tutus ab eo, quod cavendum putaveret, periculo. Nec tamen incredibile est, eundem virum magnum, si parvisset praeceptori aliaque ratione inita studium in una disciplina aut saltem in paucioribus posuisset, etiam maiorem futurum fuisse, quam qui reapse exstitit. Quid enim ille non tentavit cognoscere aut cognitum in vitae usum vocare? Iuvenis didicit ius, vir theologorum lites molitus est componere, senex suus ipsius saepe fuit medicus, philologus non modo de synonymis commentatus est, sed etiam rependiendis communibus in omni sermone notionum vocumque notis omne aevum insumpsit, mathematicus et physicus, philosophus, historicus, politicus, paedagogus, mechanicus, tantum in singulis quibusque disciplinis et artibus profecit, ut in nonnullis earum principibus, velut Newtono, par indicaretur, in nullis leve quiddam aut vulgare praestare existimaretur.

Itaque de instauranda nati duo abhinc saecula Leibnitii memoria cogitanti mihi quum amicissimus collega Naumanus, qui huius civitatis bibliothecae a Senatu amplissimo praefectus est, nuper narrasset inter codicum *χαρτῶν* duos esse Leibnitii epistolarum fasciculos, unum Gallicarum, alterum Latinarum, has ipsas prolusionis opportunitate oblata nunc primum edere visum est, ut ipse, quam alieno, suo potius ore ferias suas indiceret praeco laudum suarum dignissimus, atque ut gymnasiorum discipulis aequae ac ceteris antiquarum litterarum cultoribus hodie ostenderet, qui etiam extrema senectute Latino sermone uteretur, non modo vitae communis res in hoc commercii necessitudinisque genere, sed etiam

plane novae artis nova inventa novis antiquarum vocum significationibus novisve vel novo more compositis vocabulis designans. Sunt autem illae quidem epistolae numero XLVI omnes ad unum perscriptae GODOFREDUM TEUBERUM, artium magistrum, diaconum in aede Cizensium aulica institutum, inde ab a. MDCCXI. quo cum Leibnitio per litteras agere coeperat, haud dubie eius auctoritate die m. Aug. XXII. a Mauritio Guilielmo Duce Saxonum Cizensi Serenissimo concionatorem aulicum alterum appellatum. Quotiescumque enim Leibnitius Cizam veniebat, a Duce S. in ipsa arce lauto hospitio exceptus est, magnoque in honore fuit apud aulicos, maxime vero apud Consiliarium de Buchta. Cum hoc igitur et Teubero arctissimo necessitudinis vinculo epistolarumque mutuo commercio iunctus est, interdum etiam ad ipsum Ducem litteras misit et datas ab eo accepit, cuius humanitatem subinde gratus commemorat. Quid? quod patebat ei etiam tum palatium Cizense, quum Dux ad sacra Romana (anno MDCCXV.) conversus a Capitulo coactus est territorio Cizensi relicto alias habitare et Weidae residere instituit, ubi, ut hoc in transitu moneam, piis uxoris, Mariae Amaliae, principis Brandenburgicae et Frankii Halensis ab ea acciti sermonibus tandem, ut ad Evangelicos rediret, adductus est. Quod quidem clarum fit ex epistola XLV. scripta die III. m. Iul. a. MDCCXVI. ita tamen, ut Leibnitius nullum inclinationis ad pontificios indicium aut haud salva fide sua fecisse videatur.

Illarum igitur epistolarum XXIX. Hanoverae (1 — 6 8 — 11.) annis MDCCXI. et XII. 28 — 37. annis MDCCXIV. et XV. ac, quae in bibl. sen. codice ineunte positae sunt, 38 — 46. MDCCXVI., singulae (7.) Brunswigae (12.) Guelferhyti, itemque (13.) in Thermis Carolinis anno XII. et (27.) in Herrnhusa prope Hanoviam anno XIV., denique tredecim (14 — 26.) Viennae annis MDCCXIII. et XIV. scriptae sunt. Omnes igitur extremo vitae sexennio datae paene ad mortem usque pertinent. Ultima enim data est die III. mensis Augusti a. MDCCXVI. Leibnitius autem die XIV. m. Novembris eiusdem anni vita excessit. Omnes sunt maximam partem de machina arithmetica, quam in usum Petri M. Russorum Im-

peratoris a minore fratre Ioannis Matthiae Hasii postea professoris math. Lipsiensis Cizae fabricandam curavit. Ciza autem tum quum maxime opportuna erat conficiendo eius generis operi mechanico, quod et habebat artificem in vico propinquo, nomine Draschwitz, per omnem aetatem perpetuum mobile efficere conantem, idque ficto ipsius nomine Orffyreanum^{*)} nuncupatum, et Teuberum disciplinarum mathematicarum scientia instructissimum. Ab hoc illum quidem operi suo faciendo saltem adiutorem adhiberi voluisse videtur Leibnitius, adiunctum autem esse non constat. Nam ut e schedis video, quas s. v. Philippus, ministerii Cizensis veteranus octogenarius, mecum benevolentissime communicavit, Teuberus iam inclytæ scholæ cathedralis, quæ Cizae florebat, discipulus a Ioanne Vogelhaupt mathematices amore incensus, Ienae eundem istius doctrinæ professorem, Erhardum Weigelium, cui iam Leibnitius decennio ante operam dederat, magistrum et patronum nactus, ab eoque domum receptus, ad mensam et in quotidianam consuetudinem per quinquennium admissus est. Idem astronomiæ amantissimus Cizae ante portam Venedicam speculam observandis sideribus aedificavit, quam, Philippo referente, hodie Rohland oeconomus possidet. Hunc Leibnitius sibi omni modo conciliare studuit, et non modo in Ducis Saxonum Cizensis gratiam insinuavit, et, ut dixi, effecisse videtur, ut ab hoc Conciona-

^{*)} Orffyre vel Latine Orffyreum ficto nomine se et instrumentum Orffyreanum dixit Bessler Consiliarius, alphabetum ordine litterarum mutato a N littera incipiens, sic ut in B litteræ locum succederet O, pro E diceretur R et sic porro. Hic Leibnitio persuadere numquam potuit, mobile illud vere esse mechanicum, quin idem esset saltem ex parte etiam physicum. Nactus igitur Casselis Hessorum principem causæ suæ patronum et huius intercessione se a terrarum principibus adiutum iri sperans, librum (formis quaternis a. MDCCXIX.) edidit hoc titulo inscriptum: „Triumphans perpetuum mobile Orffyreanum omnibus summis orbis universi principibus magistratibus et statibus debita cum submissione venale propositum etc. ab eius inventore Orffyre“ pagg. 168. Exstat in Observatorii astronomici Lipsiensis bibliotheca exemplum huius rarissimum, cuius copiam mihi animo promptissimo fecit Moebius meus.

toris aulici dignitate ornaretur, verum etiam inter academiae litterarum Berolinensis, cuius ipse conditor et praeses erat, socios referendum curavit (anno MDCCXII). Hunc ille fabricandae machinae arithmeticae moderatorem artificisque admonitorem esse voluit, et per omne sexennium crebris epistolis excitavit, ut iuvenem illum opificem instigaret, et celaret tamen, quae ipsius operis ratio esset, superadditis quibusdam partibus, mentis arcana aliquantulum tegentibus. Ceterum Teuberus natus Cizae d. VIII. m. Novembr. a. MDCLVI. mortuus est d. XIII. m. Febr. a. MDCCXXXI.

Iam vero anno MDCLXXII. sq. ubi Leibnitius Lutetiae versabatur, accidit, ut, quum proposita a Pascaliio machina arithmetica additionis et subtractionis species exhibente, ille ipse statim ea perfectiorem pleniorque invenisset, magnis multiplicandi quoque et dividendi exemplis et extrahendis quadrati et cubi radicibus accommodatam, omnium in se oculis conversis excitatus adiutusque a magni nominis Colberto compluribus brevi formam archetypam ostenderet, machinae Pascalii ab ipsis eius amicis et viris intelligentissimis antelatum (vid. Guhrauer Tom. I. p. 112. sq.). Itaque ad hanc, ut videtur, consummandam aut certe amplificandam anno MDCCXI. manum admovit, hac mente machinam curru Cizam transportavit, Hasium artificem per sexennium fere sumptibus suis aluit, et, quae hanc ad rem essent usui, Richteri mercatoris Lipsiensis ope redimenda et suppeditanda curavit, omnibus viribus enisus, ut aliquod saltem eius specimen Petro M. auctumno anni MDCCXVI. exhiberi posset. (Cf. Epist. 46.) Sitne vere exhibitum, nec haec ad Teuberum die III. m. Augusti a. MDCCXVI. nec, quam Guhrauer Tom. II. p. 226. memorat, epistola Leibnitii ad Areacinum Petri M. medicum decem diebus post illam data satis ostendit.

Insunt autem in his ad Teuberum epistolis etiam alia quaedam, quae legisse expedit. Quoniam vero non uno programme omnes complecti licet, in hoc omnium summaria componenda et aliquot epistolas adiungendas putavi. Ac fasciculus quidem, quo istae continentur a Ch. T. Kochio I. D.

et civitatis nostrae nuper proconsule in bibliotheca sen. dedicatus inter codices locum habet in Rep. III., 30^b, foliis XCI epistolas, ut dictum est, XLVI Latine scriptas cum inscriptionibus Gallicis complectitur. Inscriptiones autem sunt huiusmodi: A Monsieur Teuber Concionateur de la Cour de S. A. S. vel ut fol. 14. Concionateur aulique de S. A. de Saxe Administrateur de Naumburg. Zeiz.

Summaria XLVI epistolarum G. G. Leibnitii ad Teuberum concionatorem aulicum Cizensem inde a d. II. Iul. anni 1711. usque ad d. III. Aug. anni 1716.

1. data Hanoverae d. II. Iul. a. 1711. Leibnitius Halis viros doctos, prope Guelferbytum Petrum M. salutavit, Maltitii Cizensis mandata exsecutus est; de Bülow it ad Saxones; L. tympanotribae Cizensis filium Peinae in praesidio degentem vidit; machinae arithmeticae specimen hoc anno se missurum spondet.
2. ib. d. 18. Aug. 1711. De Teuberi silentio queritur, se machinae arithm. specimen, si in viciniam veniat, ei monstraturum promittit.
3. ib. 20. Octbr. 1711. Quaerit de nova construendae machinae ratione. Poscit remedium dolorum arthriticorum. Rühlmanno pecuniam datam esse gaudet.
4. ib. 3. Ian. 1712. Interrogat Teuberum de machinae transportationibus. (Dolendum non exstare Teuberi tabulam, ad quam referuntur notae machinae.) — 18 Vallenses vult reddere.
5. (s. l.) 17. Ian. 1712. Dolet e nuntio de morte Thomasii: sibi remedium missum esse laetatur. Teuberum accepisse obiectiones gaudet. Quaerit de emendanda ratione machinae, maxime de abiiciendo rotarum ordine.
6. ib. 15. Febr. 1712. Teubero si novam rationem in machina struenda persequi velit, sumptus se sibi velle desumere scribit, laetaturque falsum fuisse de Thomasii obitu rumorem.

7. Brunswigae 9. Martii 1712. Teuberum iubet artificem quaerere, qui machinam construat.
8. Hanoverae 8. April 1712. Non vacante automatario Cizensi iubet iuvenem Lipsia vel Norimberga arcessi.
9. ib. 14. Sept. 1712. Iuvenem Augustanum, qui Bremae degat, ab arte mechanica laudatum se ad componendam machinam velle mittere ait, si Teuberus rem moderari velit, agitque de conditionibus.
10. ib. 30. Sept. 1712. Scribit de milite Hamelensi, tympanistae Cizensis filio.
11. Hanoverae d. 13. Octbr. 1712. Iturus in Caroli thermas epistolam antea expetit. Iuvenem automatopoeum extrema demum hieme arcessendum existimat.
12. Guelferbyti 24. Octbr. 1712. Halas currum sibi mitti cupit, quo machina Cizam transportetur. Se apud Wolfium deversurum esse scribit.
13. In thermis Carolinis 10. Nov. 1712. Muenchio Consiliario aulico epistolas sibi inscriptas esse mittendas. Iubet eum de micrometro terrestri cogitare. Se Petro Russ. Imp. Toeplitium comitem fore.
14. Viennae 8. Febr. 1713. Petrum vidit. Viennae Buchtam non invenit, eius famulum viatico adiuvit, Schubarto comitantem. Brema automatopoeum m. Martio affore. Salutat Buchtam, Muenchii bona officia promittit.
15. ib. 8. April. 1713. Diploma Berolinense missum esse gaudet. Iuvenem Augustanum brevi venturum esse, Magdeburgi apud Reclamum fore. Buchtam salutat.
16. ib. 3. Maii 1713. Sperat venisse iuvenem: ei primo IV numerorum notas faciendas esse, se brevi venturum; mandata addit de rebus Buchtae curandis. Morbum Viennae letalem ingravescere, sed viam ad Caesarem patere Laxenburgum.
17. ib. 14. Iun. 1713. Io. Matthiam Hasium prof. Matheseos Augustanum pro fratre maiore immorigero (Bremensi) minorem eumque aptiorem missurum. Buchta male esse dolet. Brevi se venturum.
18. ib. 26. Iun. 1713. Hasium iuvenem cum epistola praemittit, a quo primum IV numerorum notas vult absolvi ex

- novissima reformatione. Consiliarium aulicum (Muenchium?) Hanoveram venisse sperat.
19. ib. 7. Octbr. 1713. Teuberum aegrotare cum Buchta, dolet; veneritne e Moravia automatopocus, non compertum habet.
20. ib. 20. Decbr. 1713. A Muenchio de meliore Teuberi valetudine certior factus, de eius uxorisque itemque de Buchtae salute nova vota nuncupat. De automatopoco sententiam rogat. De cistae adventu percontatur.
21. ib. 3. Ian. 1714. A Buchta de iuvenis adventu ubi audit, scribit, qua conditione ei satisfaciendum putet, et de mandatis ad Richterum Lipsiensem. Se datos a Teubero Ruehmanno Vallenses 18 redditurum. Ceterum de rotis non toties transportandis scribit, Berolinense diploma missum esse coniicit. Addit de Buchtae itinere Berolinensi paucula.
22. ib. 21. Febr. 1714. Sperat bene procedere laborem mechanici. Quae in machina facienda putet, explicat, ne rursus impediatur aer compressus. Eo vere redditurum se sperat.
23. ib. 28. Mart. 1714. Gratias agit Teubero et Buchtae, quod suam machinam adiuvent, magnique fore, si ea per XXIV horas suo motu agatur. De machinae Draskowitzensis (Draschwitzensis) motu perpetuo dubitat.
24. ib. 26. Maii 1714. De machina Draswicensi dubitat adhuc, in sua machina arithmetica easdem rotas diversis applicari vult et omnem translationem in unum machinamentum reici. Cetera differt in praesentiam.
25. ib. 21. Iulii 1714. Machinam suam bene curari gaudet. Sperat se ante hiemem domum redditurum et Cizam transiturum. Orffyreus machinam, si ipse viderit probaveritque, redimere non recusat.
26. ib. 15. Aug. 1714. Hasium coercendum iudicat. In machina sua rotas fundamentales ita aequaliter collocari iubet, et sic transferri decadicis, ut quaevis decadica fundamentalis cuiusvis accommodari possit. Orffyreus machinam iam a summo Duce examinari iussam accuratius examinari cupit. Cizam se venturum ait, Richterumque suo nomine curaturum, ut automatopocus porro ali queat.

27. In Herrenhusa apud Hanoveram 23. Sept. 1714. In conficienda machina docet quae sit partium immobilis et mobilis mutua ratio. Rota verticali agendam esse numeratricem, rota pentagona transportationes praeparandus esse; parte immobili ante promotionem semper in statum suum redeunte artem celandum artificem. Hunc caute tractandum et spe sustinendum. Etiam Orffyreum iuvare vult, sed prudenter tractari.
28. Hanoverae 7. Octbr. 1714. Machinae partibus superioribus iisque mobilibus, quibus rotae numeratrices affigantur, geri debere dentem transportatorium. Dum inferiora et ea quidem immobilia in statum suum revertantur, effici, ut artifex artificium agnoscere nequeat, dicens caussa relicto dente transmutatorio. Orffyreum Ducis gratia a Camerae consilarii nexu liberatum cupit.
29. Hanoverae 30. Decbr. 1714. Teuberum hortatur, propositum velit persequi. De Buchta sciscitatur. Zolmanno aces pro disputationibus expensum restitui vult. Teuhero eius coniugi et Buchtae optima quaeque apprecatur.
30. Ib. 16. Mart. 1715. Quaerit, quo in loco sit machinae conficiendae negotium. Hasio significat per amicum, se scripsisse ad Brunhagiam Bauero nuptam. Litteras ad Buchtam epistolae ad Münchium adiungit.
31. Ib. 25. April. 1715. Novas in machina construenda difficultates non magni esse momenti sperat. Clementia erga automatopoeum opus esse.
32. Ib. 15. Iul. 1715. Rogat ob Buchtae silentium, ut Teuberus referat, sitne cum spe boni exitus diutius in opere faciendo versandum. In catalogo inventionum Gärtneri duo animadversione digna iudicat, tormenta facile transportabilia et modum resistendi inundationibus, quamquam parum credibilem. Orffyreum maius opus cum periculo moliri videri. De machina adhuc bene sperat.
33. Ib. 3. Aug. 1715. Minores machinae rotas mutandas putat. Silentio Teuberi et Buchtae offensus est, et metuit machinae suae.
34. Ib. 16. Aug. 1715. Quod opus tardetur, nihil curat, quia

sat cito, si sat bene. Rursus de rotarum exiguitate. Quaerit de automatopoeo altero. Si patefactum sit Orffyreus a Gärtnero artificium, non dolo tamen factum iudicat. Non sumptus machinae, sed ne Teubero molestus sit, veretur. Ipse laborat adhuc e vulnere.

35. Ib. 5. Octobr. 1715. Rursus de exiguitate rotularum machinae, eaque in posterum cavenda. Reprehendit suspiciosum Orffyreum, nec multum eum proficere putat, nec tamen credit artificium eius a Gärtnero cognitum iri. Percontatur denuo de automatopoeo altero.
36. Ib. 7. Nov. 1715. Epistolam se exspectare autumat de altero artifice. Iniustas esse Orffyreus de se querelas, cuius de machina honestius iudicat, quam Gärtnerus.
37. Ib. 6. Dec. 1715. Sperat adhuc se vivendo attingere abolutionem operis. Artificis puero salarium concedit. Quid Buchta et Wolfius Halensis in visitatione machinae Orffyreanae cognoverint, sciscitatur. Se podagra laborantem e vulnere consanuuisse refert.
38. Ib. 6. Febr. 1716. Si iam non sit spes opus brevi posse perfici, velle se certe partem perfici. Si quam scribat epistolam, rogat, ut eam tradat Münchio Consil. intimo suae adiungendam.
39. Ib. 10. Mart. 1716. Automatopoeum ad se vocare non vult, minis ad maiorem diligentiam compellendum arbitratur; festinatione opus esse ob adventum regis Britannorum et Russorum imperatoris ea aestate exspectatum. Sex maiores rotas conficiendas aut aliam operis faciendi rationem ineundam esse; quam ad rem si sua praesentia consilioque suo sit opus, se venturum.
40. Ib. 3. April. 1716. Sententiam rogat amicum, videaturne instituta ratione opus absolvi posse, an recurrendum esse ad maiores rotas. Hasius artifex rogarat, ut Leibnitius Struvio prof. Ienensi, a quo de novo matheseos professore consultus esse diceretur, fratrem commendaret. Sed quum non sit in consilium adhibitus, dubitat pro hoc intercedere. Artificem ad diligentiam a minore Buchtae puero compulsam iri sperans, se non ingratum erga eum fore pollicetur.

41. Ib. 14. April 1716. Gaudet Teuberum novum opus in maioribus rotis instituisse, et locum vacuum pluribus rotis relinqui iubet. Quid de automatopoeo priore eiusque opere fiat, interrogat, et ab eo aliquam certe partem absolvi vult. De Orffyreo, cui aliquid accidisse audivit, eiusque opere quaerit. A Buchta epistolam se accepisse refert, ipsius et sociorum nomine scriptam, et ei, ut par, respondisse. Maditi canem loquacem servari cupit.
42. Ib. 19. Mai. 1716. Opus urgendum censet, nec impedit, quominus binorum artificum opera utatur Teuberus. De Buchtae silentio miratur. Canis loquacis ut curam adhibeat, rogat.
43. Ib. 29. Mai. 1716. Opus urget. Sumptus promittit. Minores rotas mavult omitti, quam inutiliter tempus perdi. Sed tamen eius arbitrio relinquit, possintne quatuor an sex rotarum numeri confici. Sitne Buchta reversus, interrogat. Adiunxit litteras ad Grundmannum.
44. Ib. 28. Iun. 1716. Hasium dimitti iubet, quum ipse desperet, sed ita, ut intelligat, se ab alio opus continuandum esse curaturum. Suadet autem, ut ea, quam praesens exposuerit, ratione alter artifex opus inchoet, cavendumque esse, ne tam multa tam multis accommodentur. Propediem se venturum ait. Pridie se Russorum imperatori coram operis specimen promississe nuntiat. Adiunxit etiam ad Buchtam litteras.
45. Ib. 3. Iul. 1716. Expectari Hanoverae Britanniae regem; itaque se hoc ipso die Quelferhytum abiturum, et sine mora Cizam, etiamsi Dux absit, sperare tamen, Buchtam adfore, maxime vero sua interesse, ut cum Teubero machinae conficiendae negotium constituat.
46. Ib. 3. Aug. 1716. Gratias Teubero agit. Machinae partem ab artifice ad nundinas auctumnales confici iubet, quo cam praesenti Britanniae regi possit ostendere. Buchtam Gotham profectum se non vidisse dolet. In reditu Cassellis se cum Orffyreo locutum esse nuntiat. Hunc sperare a principibus se Landgravii intercessionem operis sui aliquod praemium esse impetraturum. Idcirco autem opus esse, ut machina cursum in unam alteramve septimanam possit extendere.

Epistola I.

*Vir maxime Reverende et Celeberrime, Fautor et Amice
honoratissime!*

A vobis digressus non Halas tantum Saxonicas ibique viros doctos et in re etiam mathematica non spernendos; sed et mox prope Wolfebytum inclytum principem Czarigenam vidi et salutavi. Est in hoc coniuncta cum bona mente iudicii maturitas ultra quam credidissem.

„Machinae meae Arithmeticae Specimen faxo ut bono cum deo ante huius anni exitum nanciscare; quando pro Tuo erga scientias studio huc animum animadvertere placet.“

D. de Maltiz vester Camerae rationum director mihi aliquid curandum commisit, cuius et curam gessi et nunc dominus Consiliarius provincialis de Bülow in itinere est ad Saxones, ut coram inspiciat omnia, veniatque in rem praesentem. Ei peto me commendari et Dno de Bülow eius socero, itemque domino Vicecancellario caeterisque praeclarissimis et nobilissimis viris, quorum effusa humanitate in aula vestra frui licuit. Summo Duci ipse gratias etiam nunc ago, sed rogo et apud regiam Ducissam summam data occasione de perpetua devotione mea et submissis grati animi sensis testari velis.

Tympanotriba quidem vester aulicus, homo pro conditione sua non aspernabilis, a me petiit, ut operam darem filio ipsius, qui inter milites nostros agit. Is nunc cum Numero, cui inest, Peinae est in praesidio. Speratur re confecta post paucas septimanas huc rediturum. Tunc cum ipso colloquar, dispiciemusque quid fieri possit. Id peto ut significes patri. Dabam Hanoverae 2. Iulii 1711.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitus.

Epistola II.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Spero litteras ad Te meas, quas post reditum scripsi, recte fuisse perlatas: nam respondit summus dux, cuius fasciculo incluseram; tuum autem silentium me tuae valetudini timere fecit: sed occupationibus id tribuere malo, quam oblivioni

mei. Nec dubito, quin pro more tuo elegantia quaedam et utilia in usum publicum moliare, de quibus aliquid intelligere semper gratissimum erit.

„Ubi iterum in viciniam vestram venero, dabo operam, ut specimen Machinae meae Arithmeticae videas, cum non facile spectatorem intelligentiorem reperire possim. Plura festinatio discedentis cursoris Vestri me addere non sinit. Quod superest vale et me ama. Dabam Hanoverae 18. Aug. 1711.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

E p i s t o l a III.

Vir Maxime Reverende et Amplissime, Fautor Honoratissime!

Ante decursum anni simul solennibus votis, quibus in multos alios omnia prospera precor, affectum meum testari, et quaerere volui, an vacaret nonnihil cogitare de Machina Arithmetica, et utrum aliquid innovare circa translationem unitatum, an priorem methodum, quae certa est, etsi non brevissima sequi malis; id saltem quod inter nos constitutum videbatur emendando, ut pleraque sibi cohaereant, minuanturque qua licet eiusdem ad diversa applicationes. Itaque fac quaeso, ut mentem Tuam quam primum intelligam.

Cum a TE discederem, assultus arthriticos non expectabam: itaque Tui remedii oblitus sum, sed illi venere, itaque rogo, ut, si commode licet, quod e re videbitur, suppedites.

Dn. Rühlmannus scripsit pecuniam meo nomine ipsi a TE datam: eamque ob rem gratias ago, restitutus, ubi didicero, quid acceperit.

Literas etiam adiunctas ad Nobilissimum dominum Buchta quam primum rite curari peto. Vale. Dabam Hanoverae 20. Fbr. 1711.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

E p i s t o l a. IV.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Hac die demum Tuas gratissimas 14. Decembris anni superioris datas accepi et statim respondeo. Ac gratias plurimas debeo, quod animum ad transportationes Machinae Arith-

medicæ promovendas adiecisti et delineationem modi ingeniosi a Te concepti ad me misisti. Quem considerans quaedam quaerenda et discutienda reperio.

„Primum quaero, quid prosint rotae C et G? Nam si rota F propellit decimam partem rotae A et B ita firmiter sibi sunt impositae, ut mota una moveatur et altera; utique simul propelletur et decima pars rotae A, quae quintam rotae I secum aget. Secundo quaero, quid fiat, si rota K tunc quiescat et a cochlidio suo non moveatur, quando movetur rota E, quod saepissime contingit, veluti si cochlidium ipsius K accommodatum sit ad O, imo etiam, quando numerus cochlidii rotam E agentis maior est numero cochlidii, rotam K agentis. Nonne rota I tunc propelletur per quintam partem? cum tamen solum debeat propelli per decimam et ita addantur binae unitates, cum una solum debeat addi. Tertio quoties ponimus rotam I simul impelli a rota A et a rota K, quaeritur, quomodo obtineatur, ne hi duo motus sibi obstant? cum eodem momento rotae I dentes pellantur in contrarias partes, nec rota A patitur rotam I, quam per binas decimas impellit, per unam decimam repelli, cum utique ambo motus simul fiant.“

„Equidem si rota A circumponeretur axi D, vel eius loco dens longus adhiberetur, affixus axi D rotam i mediate vel immediate impellens, eam in easdem partes impelleret, in quas eam impellit rota K. Ita duo motus sibi non obstarent; sed tamen non ideo rota I acciperet progressum binorum dentium, unius a K, alterius ab A, sed dentes unius tantum, quia simul agerent ad idem. Quod si vellemus non simul agere, sed efficeremus verbi gr., ut postquam K suum egit, etiam A suum agat, quamquam id difficile effectum, dividaturque adeo decima circuitio pars in partes duas, res quidem fortasse procedet pro una transportatione, sed non pro pluribus, quae eodem tempore fieri deberent, v. g. si gggggg deberet per additam unitatem transire in 100000. Cui omni difficultati consultum est meo modo iam adhibito, quando transportationes differuntur in tempus, quo cochlidia non agunt.“

Figuram non remitto, quia non dubito, quin eam delineationem Tibi servaveris, quam per omnia sequor.

Cum nihil in rebus humanis tempore sit pretiosius, et ego imprimis hac aetate eius parcus esse debeam, rogo, Vir Maxime Reverende, ut silicet mihi quam primum respondeas; uti inter nos (quando ita faves) constitui possit, novum aliquid aggredi an vetus (quod sufficere constat) non nihil fortasse emendatum exsequi praestet.

Spero litteras ad D. Buchta, quas Tibi commendavi, recte redditas. Quod superest fave et in multos annos per omnia prospere vale. Dabam Hanoverae 3. Ianuar 1712.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

P. S.

18 Vallenses ut par est reddam, si cui forte pecuniam ipsius exolveris.

Epistola V.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Multum tibi debeo, quod valde distractus et officii sacri negotiis et propriis meditationibus utilissimis, tamen promte reddisti, simul quod et medicamentum suppeditasti, cuius vim experiar.

Multo cum dolore Thomasii nostri Viri certe insignis obitum intelligo. Multa ab eo egregia expectabam nunc maxime, ex quo ab aliquo tempore ad accuratiora rediit.

„Candorem Tuum laudo et exosculor, qui statim agnovisti, quod in obiectionibus maxime validum erat. Caetera denuo inspexi, et deprehendi maxime profunda et ingeniosa.

Quoniam autem difficile erit, nisi alia plane via aliquid dare priore commodius, consilium Tuum iam expeto, quid ad emendandam priorem machinam faciendum putes. Nempe efficiendo, ut omnia firma maneant apud cochlidia, demto uno ordine rotarum superiorum notas numerales regentium, quae cochliidiis quiescentibus movebuntur dextrorsum, et inter movendum sublata nonnihil quiescentia deprimentur; ne, dum moventur, allidant. Sumtus necessarios lubens suppeditabo. Vale et fave.

deditissimus

Dabam 17. Ianuar. 1712.

G. G. Leibnitius.

E p i s t o l a VI.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Etsi nuperas meas Tibi recte redditas non dubitem; nunc tamen cum ad summum ducem scribam, occasionem Te quoque salutandi amittere nolui, Tuae circa Machinam Arithmeticam prosequendam sententiae curiosus: meam qualemcunque nuper perscripsi, promptus ad sumtus, si quem opificem adhibere velis lucrandi temporis ergo, qui Tua meditata exequatur. Nam temporis lucrum censeo omnium maximum, nec ulla pecunia satis redimendum.

Nuncius de morte Thomasii nostri*), insignis Viri, me male habuerat, quem falsum fuisse gaudeo. Nam multa adhuc egregia ab eius acumine et doctrina expecto.

Quod superest vale et fave.

Dabam Hanov. 15. Febr. 1712.

deditissimus

Godefr. Guil. Leibnitius.

*) Intelligendus est Christianus Thomasius, academiae Halensis conditor, demum d. XXIII. m. Sept. a. 1728. mortuus. Pater eius Iacobus utriusque gymnasii Lipsiensis deinceps, primo Nicolaitani, deinde Thomani, rector idemque simul dialectices et eloquentiae in acad. Lips. professor iam die IX. m. Sept. a. 1684. diem supremum obierat. Is vero scholae Nicolaitanae Conrector institutus erat a. 1650. paullo ante igitur, quam Leibnitius in eiusdem scholae album pro aetatura referri posset.

E p i s t o l a VII.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Novissimas meas rite redditas spero et nunc cum iterum ad serenissimum Ducem scribam, non possum mihi temperare, quin Te quoque iterato compellem; in quo maximam spem collocatam habeo Machinae Arithmeticae ad perfectionem deducendae; quod ut fiat eo maturius, etiam atque etiam peto, uti cogites de opifice aliquo commodo asciscendo, qui TE dirigente manum admoveat. Ego sumtus necessarios libenter suppe-

ditabo, et curabo, ne Te favoris erga me Tui poeniteat. Quod superest vale et favere perge. Dab. Brunswigae 9. Mart. 1712.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

E p i s t o l a VIII.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Gratias ago, quod de opere Mechanico ad perfectionem deducendo cogitas, et quia vester automatarius haud dubie vacare non poterit, unum hoc remedium video, ut accersatur juvenis aliquis, ein *Gesell*, ut vocant, quem suffecerit esse diligentem et docilem, et de caetero ea artis notitia instructum, quae in tali requiri solet. Posse autem talem Lipsia vel Noriberga vel Augusta haberi putem, et (meo suppresso nomine) per amicos peti.

Ego vero conditiones, quae Tibi placebunt, ratas habebo. Constituemus interim, quid in machinae structura sit mutandum. Putem autem sine multiplicatione Entium multoque facilitatis augmento rotas cuilibet cochlidio proprias adhaerere posse; tantumque pauca parti illi longiori, nunc mobili, relinqui, nempe quae pertinent ad ciphras. Id tamen erit discrimen, quod tunc ante quamlibet promotionem transportationes, si quae supererunt, manu perficiendae erunt; cum nunc sufficiat hoc fieri in fine totius operationis. Si autem cochlidia affixas sibi rotulas haberent, minus opus esset idem ad multa quadrare exceptis rotis ciphraferis. Sed hoc ut dixi constituendum erit tantisper dum mechanicum expectabimus. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 8. April 1712.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

E p i s t o l a IX.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Spero optimam valetudinem Tuam semper fuisse, ex quo nihil de TE intellexi. Nuntiatum mihi est, esse Bremae juvenem Augustanum arti automatariae operam dantem, qui utiliter adhiberi ad Machinam Arithmeticam possit: laudaturque ab iis, qui meo rogatu inquisivere, neque recusare

videtur ipse. Itaque ante omnia a TE quaerendum putavi, eademne adhuc mens perstet, ut iuvenem missum sub inspectione Tua opus facere velis, quando ea Tibi fuit cura publicae utilitatis et is erga me favor, ut hoc sponderes. Magister eius rogatus optimum ei testimonium perhibuit, addiditque posse eum intra tres septimanas horologium portatile conficere, et eo nomine a se octo thaleros capere, praeterea mensa sua uti: esse diligentem, non potatorem, non cursitorem. Nosse vult iuvenis, an sibi de victu prospicere debeat, quantum pecuniae offeratur in septimanam, tum an liceat praeterea partem temporis impendere solito horologiorum labori suo, ne exercitio eius omni careat. Ego sententiam Tuam ante omnia de singulis flagito; nosti enim, quanti constet victus talibus in vestra urbe et quam ratione tractare oporteat hoc hominum genus. Ceterum velim ego partem promissorum restringi in effectum, ut spe animetur. A TE vero, vir egregie, etiam atque etiam peto, ut mihi sententiam Tuam de singulis perscribere, ut primum licebit, velis; nam in id responsionem meam distuli. Vale et fave. Dabam Hanoverae 14. Sept. 1712.

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnizius.

E p i s t o l a X.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Nuperas meas redditas puto, quibus sententiam rogavi circa iuvenem automatopoeum pro machina arithmetica perficienda ad vos ablegandum: nunc cum filius vestri tympanistae militiae nostrae ascriptus ex Hamelensi praesidio, ubi aegrotavit, litteras has ad me patri suo reddendas miserit, credidi (me) non certius curare posse, quam si Tibi mitterem rogaremque ut tradi iuberet. Ea est enim humanitas Tua, ut hoc officium caritatis non sis omissurus, neque meam hanc fiduciam tuae benevolentiae in malam partem accepturus. Simul etiam ad priores responsum flagito. Vale et fave.

Dabam Hanoverae 30. Septembr. 1712.

deditissimus

G. G. Leibnizius.

E p i s t o l a X I.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Literas Tuas gratissimas accepi, et Tecum sentio recte in annum sequentem sub hyemis exitum iuvenis automatopoci adventum differri, idque spero ipso non invito fieri posse.

Fortasse mox [ad] vos invisam: consilium enim cepi ad-eundi ad thermas: opto invenire summum ducem, sed vereor, ne ille in Vogtlandia venationi operam det: quanquam ne sic quidem fortasse voto excidam: fortasse enim res ita institui possit, ut in Vogtlandiam vehar: inde porro ad Caroli thermas progressurus. Si statim respondes et responsionem Guel-febytum dirigis, illic reperiam.

Coram constituemus de fabrica Machinae: inclusas ad Dn. Buchtam rogo ut quam primum cures, petii ab eo, ut re-sponsum ad TE mittat. Quod superest vale et fave. Dabam Hanoverae 13. Octobr. 1712.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

E p i s t o l a X I I.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime, Fautor Honoratissime!

Spero novissimas meas Tibi redditas fuisse, quibus significavi me mox affore, itinere ita instituto, ut dum ad thermas Carolinas proficiscar, Cizam transeam, ac summo duci obsequia mea renovem. Spero autem aut potius confido perendie i. e. die Mercurii, (me) hinc discedere, et die Veneris attingere Halas. Quod si iam commode effici possit, iussu summi ducis, si adest, aut dnm. consiliariorum, si abest, ut die Veneris ante noctem adveniant quatuor equi currum rusticum vulgarem apertum, *einen Letter-wagen*, ut hic appellant, satis parvum trahentes; ego alia vectura Cizam usque non indigebo. Habeo enim machinam satis levem, sedis tectae forma, *Einen Poststuhl*, qui ex tignis lateralibus superioribus currus per ansas et eatenas utrimque suspenditur, subitoque de curru in currum transferri potest. Si meliorem currum adducant rustici, id mihi potius incommodo erit, quam commodo; nam sedes illa in curru aliquo elegantiore commode collocari suspendique non potest. Quod si aliquam ob causam im-

pediatur equorum adventus, rogo, ut litterae, quae me, quid expectandum sit, doceant, dno. professori Wolfio Halensi Mathematico mittantur. Ita statim sciam, quid facto sit opus. Ignosce quaeso audaciae meae ea petenti, quae facile concedenda puto. Interea vale et fave. Dabam Guelfebyti 24. Oct. 1712. die Lunae

deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius.

Aurigae etiam cum suis equis dn. professorem Wolfium adire poterunt, ita vel intelligent, ubi ego sim, vel ego, ubi illi hospitium sumserint.

Epistola XIII.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Fasciculum literarum Tuo beneficio in thermis Carolinis recte accepi, eoque nomine et aliis multis ago gratias. Si quid expensum est reddam ut par est. Si quid in posterum ad me directum ad TE perveniat (quod tamen nunc non arbitrator) tantum ad Dn. Consiliarium Aulicum Münchium mitti peto.

Rogo ut per otium cogites de Micrometro terrestri, cuius multiplices usus erunt, nec magna difficultas. Interea vale et fave. Dabam in th. Carolinis 10. Novembr. 1712.

deditissimus

P. S.

G. G. Leibnitius.

Magnum Russorum Czarem Toplitium usque sequar: an ulterius (nam per Dresdam Berolinum tendit) nondum satis constitui. De diplomate Berolinensi monebo, et expeditionem curabo.

Epistola XIV.

Vir Maxime Reverende et Celeberrime!

Viennam me produxisse iter, postquam officio apud magnum Russorum Monarcham satisfactum fuit, didicisse Te non dubito. Perveni illuc optima valetudine, divino utique in hac aetate beneficio. Sed nobilissimum Buchtam nostrum, ut speraveram, non inveni, scripsi tamen litterisque acceptis respondi, sed nihil exinde ab ipso intellexi, etsi sperem (eum) valere et florere. Dimisi hinc famulum eius, eumque quod putarem moram eius hic dispendiosam fore, credita viginti vallensium summula in

viaticum adiuv; praesertim cum iuvenem Dn. Schubartam domum reduceret.

Tuam Tibi, vir egregie, fixam stare sententiam, non dubito in recipiendo apud vos iuvandoque Automatopoeo, quem, si ipse quoque in sententia perstat, mense Martio affore spero. Et iam nunc Bremam do literas, ut explore, sintne omnia salva et fixa.

Interea gaudebo de bona valetudine tua et amici dni Buchtae et utriusque optima erga me perstante voluntate reddi certior, et si quid iubetis. Nobilissimus Münchius litteris perferendis favebit. Quod superest vale et fave. Dabam Viennae 8. Febr. 1713.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XV.

Vir Maxime Reverende et Amplissime!

Libenter intelligo TE valere et literas quas promiseram Berolino recepisse: diplomata illic in tali causa gratis expediuntur.

Fortasse iuvenis ille Augustanus ad vos mox veniet aut iam venit; nam voluerat literas expectare Magdeburgi apud mercatorem Reclam, quae etiam missae fuere: postulat quinque thaleros per septimanam. Putem duos statim solvi septimanatim posse, nisi detrahatur habitatio et victus, partem dari absoluto opere; partem praemio destinari, si probe et promte satisfaciatur, „incipiendum a numeris tribus, quibus deinde addi poterunt plures, sed non ante primos perfectos. Nihil refert, in Tua an alia domo agat, facies omnia pro iudicio Tuo.

A Dn. Consiliario Aulico de Buchta nonnisi unam accepi epistolam, qua redditum ab Hanovera [ex] Ciza significavit. Eum a me officiose resalutari peto.

De machina nihil addo. Omnia enim ni fallor satis sunt constituta et intra paucas septimanas (me posse) venire spero. Quod superest vale et fave. Dabam Viena 8. April 1713.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Epistola XVI.

Vir Maxime Reverende et Amplissime, Fautor Honoratissime!

Spero ad Te pervenisse Automatopoeum nostrum juvenem, eique tecum convenire, et rem ita constitutam, ut nunc quidem medioeri et necessario contentus sit, pluraque expectet re bene gesta, et spe illa ad diligentiam animetur. Res ita instituenda erit, ni fallor, ut quatuor circiter ciphrae primum accurate absolvantur; quibus perfectis facilis erit ad plures progressus.

In eo sum, ut me hic absolvam, et intra paucas septimanas [ad] vos invisam: Tibi si quid examinandum restat, aut dissentiendum rite constituemus. Ego interea plurimum Tuae benignitati et animo erga progressum scientiarum optime affecto debeo, quod hanc curam in TE recipere voluisti, quam vellem aliqua ratione demereri posse.

Amplissimo Buchtae nostro scripsi bis, et cum binis vicibus aurigae sarcinas eius hinc acceperint Lipsiam, ego utraque vice aliquid de meo addidi, prima cistam, altera vini cupulam, voluique ut utrumque Lipsiae remaneret nec dubito et res adductas et literas bene redditas fuisse: ipsum eximium virum hactenus apud vos egisse arbitror, aut si abfuit literas ad eum transmissas fuisse. Quod superest, vale et fave.

Dabam Viennae 3. Maii 1713.

deditissimus

G. G. Leibnitius.

Cum mortes subitaneae sint solito crebriores (etsi non praeter exempla aliorum annorum) hinc magnus multos metus incessit: sed quamdiu hinc Laxenburgum ad Caesarem proficisci licebit et Caesar ipse ad urbem accedit, non item contagium subisse vereamur.

Ceteras Leibnitii epistolas alio tempore edam.
